



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. An moralitas in libertate consistat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

13. Moralitas non consistit in habitu ad voluntatem:
 14. Sed in actuali tendentia voluntatis ad objectum.
 15. Quomodo malitia sit species moralitatis?
 16. Omissio voluntaria est saltem interpretativa tendentia voluntatis in objectum.
 17. Actus est artificiosus per denominationem intrinsicam.
 18. Disparitas inter esse vitale, vel naturale, & inter esse morale.
 19. Moralitas est identificata cum actu.
 20. Quid sit objectiva moralitas.
 21. Divisio moralitatis in bonitatem & malitiam non est adequata, cum etiam indifferentia sit species moralitatis.
 22. Duplex regula actuum humanorum, remota & proxima.
 23. Natura rationalis tantum est regula morum radicalis.

S. I.

An moralitas in libertate consistat?

Notandum primò. In latissimâ acceptione morale dici, quod aliquo modo pendet à ratione & libero arbitrio. Sic primò valor monetæ dicitur moralis, quia ratione & liberâ voluntate republ. administrantium fuit impositus. Causa dicitur moralis, quia mediante solùm propositione rationis & intellectus influit in voluntatem. Servitutes, dominia, jura dicuntur entitates morales, quia liberis hominum moribus, placitis, consuetudinibus sunt introductæ. Actus humani sunt morales, quia dependentur à regulis rectæ rationis liberè eliciuntur. Ipsi denique mores, à quibus nomen moralitatis derivatur, hominum actus, qui liberè & ex ratione fiunt, appellantur; ideoque hoc nomen in brutis non requiritur. In præsentia agimus de moralitate.

Notandum secundò. Plura reperiri prædicata in actu morali, de quibus disceptari potest, quodnam ex iis actui moralitatem formaliter tribuat? Est primò libertas, eaque actualis; neque enim sola conjunctio cum potentiâ habitualiter & privativè liberâ sufficit ad tribuendam moralitatem, ut patet in motibus primò primis, qui non sunt morales, hoc ipso, quòd illos voluntas liberè non producat. Secundò passiva regulabilitas, & extrinseca denominatio à lege & ratione regulante. Est tertio ordo & habitudo ad potentiam operantem & subjectam regulis morum; est etiam habitudo actus ad ipsam rationem, & legem. Est demum habitudo ad objectum subsistens regulis morum; quam ipsam habitudinem alii volunt esse relationem rationis; alii prædicamentalem, alii transcendentalem, & modaliter distinctam ab actu.

Queritur ergo: per quodnam ex iis prædicatis actus humanus formaliter constituatur moralis, seu in esse moris? & primò quidem Scotus in 2. dist. 40. q. un. n. 3. Suarez tract. 3. de act. hum. Ferrar. in 3. contra gent. c. 10. aliique sentiunt, moralitatem humanorum actuum formaliter constitui per libertatem: contra quos sit

CONCLUSIO prima: Moralitas actuum non consistit formaliter in ipsa libertate: quamvis eandem

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II,

dem essentialiter præsupponat. Ita Jo. à S. Th. Gonet, Amicus disp. 12. sect. 1. & comm. Thomist. Ratio est primò: quia potest concipi actus liber, quin concipiatur moralis; ergo libertas non est prædicatum formaliter constitutum moralitatis. Anteced. prob. Positâ indifferentiâ agendi, & ablatâ sive per possibile sive per impossibile omni lege & regulâ operandi, actus esset liber, & tamen non esset moralis, càm sublatâ regulâ morum nulla sit moralitas: ergo essentia actus liberi consistit sine moralitate.

Secundò. Perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris, non constituit actum in esse moris: sed libertas est perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris; quia est perfectio naturalis pertinens ad ordinem naturæ, eumque reddens proximè capacem, ut per morum regulas dirigatur. Imò tertio. Idem physicè actus recipit diversas species & differentias moralitatis, quin recipiat diversas species aut differentias libertatis, uti si in eodem actu reperiat malitia furti & sacrilegii. Ergo libertas non constituit moralitatem.

Dices primò Juxta doctrinam D. Thomæ eadem sunt proprietates actus liberi, & actus moralis: ergo eadem est utriusque natura, idem constitutum. Antecedens probatur: Proprietates actus moralis sunt esse dignum laude, vel vituperio, præmio, vel supplicio: sed eadem sunt proprietates actus humani & liberi per S. D. hic in 1. 2. q. 21. a. 2. dicentem: *Nil aliud esse laudari, vel vituperari, quam imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Tunc enim actum imputari agenti, quando est in potestate ipsius (en libertatem;) ita quòd habeat dominium sui actus.*

Respondeo: Eadem sunt proprietates actus moralis & liberi, & diverso modo, concedo; eodem nego. Igitur actui quâ libero competit esse dignum laude, vel vituperio, remotè, radicaliter, & causaliter, concedo; (nisi enim actus foret liber, etiam non esset proximè regulabilis) proximè, & formaliter, nego: prout ex dictis constat, & amplius constabit ex dicendis. Unde & verba S. Doct. plus non evincunt, quàm quòd actus liber & moralis pro statu hujus viæ sint idem entitativè, materialiter, & concomitanter, non autem formaliter.

Dices secundò. Positâ libertate ponitur, sublatâ tollitur, imminutâ minuitur moralitas actuum (neque enim aliâ de causâ peccatum veniale ex indeliberatione commissum, non est actus perfectè moralis, nisi quia non est perfectè liber) imò solâ positâ libertate, secluso omnî alio, actus est regulabilis per regulas morum: ergo moralitas formaliter in libertate consistit.

Respondeo distinguendo antecedens. Positâ libertate ponitur causaliter moralitas actuum, concedo; formaliter, nego. Unde etiam peccatum veniale, defectu libertatis plenæ, tantum causaliter habet minus moralitatis, non autem formaliter: ratio formalis autem est imperfecta tendentia in objectum difforme rectæ rationi. Est etiam quòd libertas faciat actum proximè regulabilem per regulas morum, tamen illa regulabilitas passiva non est ipsa moralitas; nam veluti alicujus operis esse artificiale non consistit in passiva

passiva regulabilitate, sed in actuali subiectione ad regulas artis; ita esse morale debet consistere in actuali subiectione ad regulas morum.

6. Instabis; Idem obiectum specificativum habet actus moralis & liber, nempe finem: ergo eandem quoque habet rationem formalem.

Respondeo dist. antec. Habent idem, specificativum materialiter, concedo; formaliter, nego. Finis igitur specificat actum moralem sub ratione conformis vel difformis cum regulis morum; actum verò liberum quò talem specificat sub ratione indifferenter propositi, quò sunt rationes formaliter diversæ.

§ II.

Removentur aliæ quedam opiniones.

7. **CONCLUSIO** secunda. *Moralitas formaliter non consistit in aliqua denominatione extrinseca.* Ita Thomistæ communiter contra Vasq. & Amicum loc. cit.

Ratio est primò. Quia libertas, quam ceu essentialem sui radicem moralitas præsuppositivè includit, est perfectio intrinseca actui, prout supra ostendimus disp. 6. a. 1. ergo & moralitas.

Secundò. Quia forma, à quâ plura aliqua analogicè & extrinsecè denominantur per attributionem ad analogatum principale, intrinsecè inest analogato principali; sed quæcunque spectant ad genus moris, ut voluntas, lex, dictamen rationis, dicuntur moralia per ordinem & attributionem ad actum voluntatis; ratio, quia dirigit; lex, quia præcipit; voluntas, quia causat actum moralem; ergo moralitas, à qua extrinsecè denominantur, intrinsecè est in actu voluntatis.

Tertiò. Bonitas moralis in habitibus virtutum est ipsi intrinseca: hinc enim etiam in esse moris specie inter se distinguuntur; ergo similiter bonitas moralis, & consequenter moralitas est intrinseca actibus.

Quartò. Veritas est intrinseca actui intellectus, bonitas artificialis actui artificiali, bonitas naturalis rebus physicis; ergo etiam bonitas moralis actui humano.

8. **CONCLUSIO** tertia. *Moralitas formaliter non consistit [1] in relatione rationis, [2] aut prædicamentali, [3] aut aliqua habitudine modaliter ab actu distincta.*

Ratio primæ partis est: quia malitia & bonitas invenitur in actibus voluntatis, independenter ab ulla fictione intellectus, posita solum liberatendentia in obiectum conforme vel difforme rectæ rationi.

9. Ratio secundæ partis est primò. Quia relatio prædicamentalis requirit existentiam sui termini, cum tamen obiectum actus moralis sapissimè solum in intentione existat. Secundò: relatio prædicamentalis non exprimit perfectionem, nec imperfectionem, ut dictum in Tract. de Trinit. econtrà moralitas in suis speciebus exprimit perfectionem, si actus est bonus; imperfectionem, si est malus: ergo.

10. Ratio tertiæ partis est primò, quòd modalitates sint essentialiter superflue, ut suppono. Secundò, quòd ante modum superadditum jam intelligitur actus liberè elicited juxta vel contra regulas morum, adeòque moralis.

Oppones primò. Ex eo actus est moralis, quòd regulatur per rationem, præcipitur per legem, &c. sed hæc nihil ponunt intrinsecum in actu: ergo non denominatur intrinsecè moralis.

Secundò. Moralitas obiectiva vel est denominatio extrinseca, vel ad summum relatio rationis: ergo etiam moralitas actuum.

Tertiò. Esse morale in dignitatibus, officiis, valore monetæ, & pretio rerum venalium nihil intrinsecum ponit in rebus ita denominatis: ergo nec esse morale in actu voluntatis est quid intrinsecum.

Quartò. Moralitas actus consistit in habitu dine ad obiectum, tanquam ad suam mensuram: sed habitudo mensurabilis ad mensuram est relatio prædicamentalis: ergo.

Respondeo ad primum negando, vel dist. antec. Est propterea moralis casualiter, & tanquam propter conditiones necessariò requiritas, concedo; formaliter, & tanquam propter rationem proximam, nego. Ad 2. & 3. Permissit. antec. nego consequ. quia esse morale in obiecto accipitur per attributionem ad actum quem terminat, & coexistentiam legis sibi extrinseca. Similiter valor monetæ, & pretium rerum venalium præcisè, directè, & immediate sumuntur à voluntate humana ita taxante & acceptante; at verò esse morale in actibus voluntatis, estis sponat legem, immediate tamen non a lege, sed ab ordine ad obiectum legi subiectum accipitur, qui ordo est ipsis intrinsecus. Ad quartum dist. major. consistit in habitu dine fundamentali seu radicali ad obiectum ceu mensuram, concedo; in formali, nego. Cum enim actus intelligatur bonus, vel malus moraliter, priusquam formaliter respectum ad obiectum habeat. vel habere possit, non in ordine formali, sed radicali ad obiectum moralitas poterit consistere.

§ III.

Resolutio questionis.

CONCLUSIO quarta. *Moralitas actuum humanorum non consistit in habitu dine actus ad voluntatem.*

Ratio est primò: quia moralitas per prius est in actu, quàm voluntate, voluntas enim propter attributionem & habitudinem ad actus est & elicetur moralis. Actus quoque per prius subieciuntur legi, quàm voluntas, cum leges & præcepta dentur propter actus humanos. Secundò. Quia actus & motus non specificatur à suo principio; sed actus humani sunt quidam veluti motus & tendentia ad sua obiecta, etiam in esse moris: ergo ex obiecto accipiunt speciem bonitatis in esse moris, non à suo principio. Sed inde non accipiunt speciem in esse moris, inde non ipsum esse moris accipiunt; siquidem genus includitur in speciebus: ergo cum non accipiunt speciem boni vel mali à principio sive voluntate, etiam inde non accipiunt ipsam moralitatem.

CONCLUSIO quinta. *Moralitas formaliter est ipsa actualis tendentia voluntatis in obiectum, subiectum regulis morum, indistincta ab actu.* Ita communiter Thomistæ, quorum tamen plerique in hoc discrepant, quòd velint istam habitudinem esse ab actu modaliter distinctam.

Probat